Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 3
Quelle:
Copyright:

bium ejus curae commissum fecerat, sarciretur, id, quod ex fine Carminis ab *Alcuino* praefixi et mox memorandi patet:

Codicibus sacris hostili clade perustis
Et Radon *fervens hoc reparavit opus.*

Initium Codicis mutili est ab iis verbis *Homiliae X. B. Gregorii Papae* habitae ad populum in basilica sancti Petri Apostoli in die Epiphaniae: *celeste desiderium redolere valeamus.* Legitur integra T. I. *Opp. Paris.* MDCCV. *col.* 1468. f. Homiliam excipit *Lectionarium* Feriae quintae in Coena Domini, diei Parasceves, & Sabbati sancti, tum *Omelia habita ad populum in Basilica sanctae Marie die sancto Paschae*, quae rursus *Gregorii* est, incipit: *Multis uobis lectionibus fratres karissimi* &c. et habetur T. *supracit. col.* 1524. Sequuntur *Isaiae Caput* XII. ex C. XXXVIII. *Canticum Ezechiae.* Ex *Reg.* I. c. 2. *Canticum Annae.* Ex *Exodi* XV. *Canticum Moysis* usque ad ea verba: *submersi sunt quasi plumbum.* Atque hinc statim incipit *Psalterium* idque a *Psalmi* CII. v. 18. *Et iusticia illius in filios filiorum* &c. Unde patet Codicem etiam hac parte confusionem et imminutionem passum fuisse. Nam, ubi a praedicto *Psalmi* CII. versu ad *Psalmum* CL. decurreris, invenies Psalmum illum apocryphum: *Pusillus eram inter fratres meos* &c. quem habes in *J. Alb. Fabricii Cod. Pseudepigr. V. T. p. 905.* atque ab hoc demum *Psalterium* exorditur, et ad memoratum usque *versum* pertingit. Compactoris itaque vitium vides. Est vero totum *Psalterium* litera nitida, attamen longe minutiore, quam reliquae Bibliorum partes, exaratum. *Fol. 16.* haec ipsa inchoant a gemino *Alcuini* carmine, quod primus publicavit *Lambecius Comment.* L. II. p. 403. *Kollarius* in T. I. *Analector. col. 617.* transtulit adjecta totius *Codicis* diagnosi *Gentilotiana*, Celsiss. denique *Frobenius Alcuini Opp.* T. II. *Ratisb.* 1777. p. 205. repraesentavit. Titulus est litera quadrata: *In Capite Bibliotechae ab Alcuino editi;* ubi dubio procul subaudiendum est: *Versus*, sacris Bibliis phrasi Hieronymiana *Bibliotheca* adpellatis. *Carmen I.* Hexametris 18. seriem divinorum Librorum percurrens incipit:

In hoc quinque libri retinentur codice Moysis &c.

Plura in eo menda commiserat Librarius noster, quae partim in codice nunc erasa, partim in editione emendata sunt; *versu* tamen 10. melius legit *jamque*, ubi typi Ratisbonenses *namque* offerunt. *Carmen II.* elegiacum est 102. distichis constans, eandemque pertractans materiem hoc initio:

Dum